

Superiori talia iudicia suggereret, vi quorum ipse ex officio inquirere, & paterni Denunciantem pro teste citare, & examinare possit; vel si cuidam alteri suaderet, ut judicialiter denunciaret, quatenus dein ipse testis esse possit, quod nullo iure prohibendum videtur, si fraus, & dolus, passio, & mala collusio abest; ac non nisi ex charitate & Zelo Religiosis, huius aut illius delinquentis bonum urgente conscientia intenditur: secus enim testem agere utique non posset alterum dolose instigans, utpote merito suspectus, & omni exceptione maior non existens. Et in hoc sensu non autem universaliter accipienda vel sequenda est doctrina, Ameno loc. cit. n. 69. §. 70. Ceterum num ex charitate & Zelo, an vero ex iniqua fraude tertius aliquis fuerit ad judicialiter denunciandum persuasus, ex circumstantiis personarum facile prudens Superior colliget.

231 Resp. IV. Socii criminis non possunt esse testes Communis, & certa, claris iuribus c. Personas. 20. de testib. c. 1. de Confess. l. Quoniam. 11. de testib. cum concordant. Ratio est; quia hoc ipso, quod quis sit socius criminis, criminofus, licet ad testificandum inhabilis censetur. 232 Limitatur tamen Conclusio I. In criminibus exceptis. II. In criminibus, quæ ex natura sua socium requirunt. III. Si adsint alia iudicia, & adminicula, prout amplius dictum est Lib. II. Tit. XVIII. §. IV. vide etiam Ameno Tit. XV. §. Testes. n. 52. §. 53.

§. V.

De Exceptionibus; ubi etiam de Criminibus sine ordine puniendis, Notoriis nempe, ac illis, quæ in Flagranti deprehenduntur.

S U M M A R I U M.

- 233 Ratio continuationis, & ordinis.
234 Exceptio quid?
235 Potest fieri Civiliter.
236 Vel Criminaliter.
237 Si tantum civiliter fit Exceptio, non potest Iudex punire illum, contra quem facta est Exceptio, opponendo ei grave, vel verum crimen.
238 Nisi alium Processum instituat, prout bene potest.
239 Si Exceptio criminaliter intentatur, inducit naturam Accusationis, & eius condiciones requirit.
240 De reliqua materia Exceptionis: Remissive.
241 Occultum aliud est proprie tale puniaturque a solo Deo.
242 Aliud pene tale: Et quid?
243 Publicum quid, & quotuplex?
244 Famosum quid?
245 Manifestum quid? & in quo differat a Famoso, & Publico?
246 Notarium proprie quid?
247 Sumitur subinde pro Manifesto, sed differt ab eo, & dicit plus.
248 Notarium multiplex: Remissive.
249 Quid sit coram maiore parte communitatis, Notarium facti est.
250 Non est necesse ad Notarium, ut fiat coram maiori parte communitatis, si hæc magna est.
251 Nec ut fiat coram maiori parte populi totius loci, sed sufficit, si fiat coram maiori parte Vicinie, Parochie, Collegii, Monasterii &c.
252 Necessè tamen est, ut fiat in presentia saltem sex hominum. Occultum adhuc dicitur, quod coram quinque fit.

- 253 Delicta vere notoria puniri possunt non servato iuris ordine.
254 Et non requiritur Accusator, vel Denunciator.
255 Nec potest recusari Iudex.
256 Nec requiruntur testes ad probandum delictum, bene vero ad probandum notorietatem.
257 Neque requiritur citatio.
258 Neque Notoria sine solemnitate.
259 De consuetudine tamen fertur sententia.
260 In Notoriis item non datur Appellatio.
261 Nisi appelletur contra sententiam declaratoriam Notorii.
262 Ut delictum notorum sine ordine puniri valeat, requiritur I. Ut sit vere ac proprie Notorium.
263 II. Ut Notorietate legitime iudici constet: quod dupliciter fieri potest. Et n. seq.
264 III. Ut constet de malitia delicti.
265 Consilium praxique conforme est, ut nullus etiam notorie condemnatur sine citatione, & sententia.
266 Quid, & quotupliciter dicatur vitium in Flagranti deprehensum? & quo ordine puniatur? Et n. seq.
267 Delictum in Flagranti deprehensum quid?
268 In Flagranti deprehensum puniatur, non servato iuris ordine. Et quomodo?
269 Iudex pro Tribunali non sedens, haud dicitur aliquem in Flagranti deprehendere.

Postquam ordinarios tres Modos, mediis quibus criminosa, & criminofa in Iudicio deducuntur, & ibidem iudicantur, & puniuntur, hæctenus examinavimus: restant duo extraordinarii Modi, eadem crimina in iudicio deducendi, Exceptio nempe, & Modus crimina quedam puniendi non servato iuris ordine.

Quæritur I. Quid sit Exceptio? Resp. I. Quamvis Exceptio ut sic fit, & dicatur actionis, vel intentionis exclusio, prout latè patet ex dictis Lib. II. Tit. XXVI. de Exceptionibus; tamen ad propositum melius describitur dicendo: Exceptio est criminis, vel alterius oppositio à Reo facta ad hoc, ut iudicem ab Officio aut jurisdictione, vel Accusationem ab Accusatione, Denuntiationem à Denuntiatione, Testem à ferendo testimonio &c. repellat, aut impediatur, vel etiam ut publicam vindictam subeat is, cui crimen oppositum est. Descriptio hæc majoris claritatis gratia, longior quidem, sed in re communis est, uti videre est apud Clarum §. final. q. 19. n. 2.

R. II. Exceptio potest dupliciter fieri, Civiliter nempe, & Criminaliter. Civiliter fit, quando Reus crimen, vel quid aliud præcisè ideò opponit, aut obijcit, ut Iudicem ab exercenda in se jurisdictione, Accusatorem ab accusando &c. repellat, aut impediatur; non vero ut talis, contra quem excipitur, ob crimen oppositum puniatur; sic Civiliter excipit Reus, si v. g. dicit: Hic Iudex est de facto suspensus ab Officio; hinc contra illum excipio: vel, excipio ac protestor contra hunc Accusatorem, vel Denuntiatorem, quia est v. g. meus capitalis inimicus, vel criminofus &c. ac propterea incapax ad accusandum, vel denunciandum: vel, hic testis est meus capitalis inimicus, quapropter contra eum excipio, vel protestor: vel crimen, de quo fui accusatus, denuntians, &c. jam pridem est præscriptum, hinc excipio & protestor contra testem Processum. De Exceptione Civiliter intentata ample diximus Lib. II. Tit. XXVI. de Exceptionibus, per totum, ubi vide. Criminaliter fit Exceptio, quando crimen opponitur non tantum, ut criminofus repellatur, sed etiam ut supra, sed etiam ut pro vindicta publica, pœna Jure statuta eidem per sententiam infligatur.

§. V. De Exceptionibus; ubi etiam de Criminibus &c.

- 237 Kelp. III. Si Reus Civiliter tantum excipit, non potest Iudex illum, cui crimen à Reo opponitur, propterea punire, etiam crimen probaverit Reus opponens (nisi alium processum instituat) sed debet statim in eodem adhuc processu esse probationibus Rei, vel alias cognoscere, & iudicare, an Exceptio illius sit iusta, & legitima: si iustam agnoscit, debet eam per sententiam interlocutoriam admittere, & ei conformiter juxta intentionem Rei excipientis se habere: si vero injustam, aut frustratoriam deprehendit, illam rejicere, eaque non obstante in Processu pergere. Clarus loc. cit. Barbosa in c. Cam dilectus. 2. de Ordin. Cognit. num. 5. Pithing. b. r. num. 130. cum communi, arg. cit. c. Cam dilectus. 2. §. Verum de Ordin. Cognit. Ratio est; quia Iudex debet se accommodare intentioni & fini agentis, formæque Libelli ab illo propositæ, arg. c. Qualiter 24. h. t. & c. Licet 30. de Simonia, ibi: Ut juxta iudici formam sententia quoque dicitur. ergo.
238 Dicitur autem notantur: Nisi alium Processum instituat, quia talis civiliter facta exceptio bene potest Iudici aperire viam, ut ex Officio novum Inquisitionis Processum instituat contra illum, contra quem Exceptio facta est, si nempe ex probationibus, aut iudicis appareat, crimen obiectum verè fuisse commissum, aut si fama de eo voleat, prout bene advertunt DD. citati.
239 Resp. IV. Quando Reus Criminaliter excipit, assumit Exceptio naturam Accusationis, arg. l. Si cui. 7. ff. de Accusat. debetque propterea condiciones ad Accusationem requiritus habere, v. g. speciem, locum, & tempus delicti exprimere, & alia continere, quæ supra à n. 6. sunt recentia, arg. l. Libellorum. 3. ff. de Accusat. Hinc etiam ille, contra quem excipitur, non tantum à facta jam Accusatione v. g. Denuntiatione, ferendo testimonio removetur, sed etiam vindictam publicam per statuta Jure pœnas sustinere debet, si Excipiens crimen obiectum probat, vel abolet, & contra Excipientem pœna Talius puniri debet uti Accusator, si in probatione debeat, Clarus loc. cit. cum communi aliorum, arg. cit. Si cui. ff. de Accusat.
240 Reliqua de Exceptionibus vide cit. Lib. II. Tit. XXVI. de Except. per totum. Circa alteram Paragraphi partem notandum prius duo esse genera delictorum, quæ puniri possunt non servato iuris ordine, aliàs ad Processum Criminalem requisitò; videlicet crimina notoria, & crimina in Flagranti deprehensa. Pro quorum majori intelligentia,
241 Quæritur II. Quid sit Occultum, & quid Publicum, prout occulto opponitur? Item quid Manifestum, & quid Notorium? ac in quo differant? Resp. I. Quamvis varie sumatur Occultum, præcipuè tamen dupliciter quod est, & dicitur occultum; videlicet proprie, & pene tale. Occultum proprie dicitur illud, quod nulla ratione probari potest, Joan. Andreas in c. Vestra de Cohabitat. Clericor. & Mulier. num. 12. & ibi Ancharanus n. 14. Abbas n. 10. Fagnanus n. 45. dicens: nullum discrepare, arg. c. Ut Ecclesiast. Beneficia. Et de his oculis solum Deo relinquuntur iudicium, can. Erubescant. 11. dist. 32. ibi: Secretorum est cognitor Deus, & Iudex, juudo can. Confusio. 20. §. Spontanea, cau. 2. q. 5. cum concordant.
242 Pene, vel quasi Occultum est, quod probari quidem potest, non tamen à multis, sed tantum à paucis, v. g. à duobus, tribus, vel etiam quinque scitur; nam secretum adhuc dicitur etiam illud, quod in presentia quinque personarum dicitur, can. Quis aliquando, 87. de Penitent. dist. 1. §. Hæc ergo Reiffersuel Jus Can. Tom. V.

secreta, §. Filium Archidiaconi, & notat ibi Glotia §. Secreta, observans esse secreta, qua sunt sub presentia quinque personarum; intellige, quamvis ad Iudicium non deferuntur, seu judicialiter non discutuntur, nec plùs manifesta sunt, ut bene observat Fagnanus loc. cit. & alii ab eo citati, arg. c. Vestra 7. de Cohabitat. Clericor. & Mulier. ibi: Aliud est pene occultum, quod ab Ecclesia toleratur &c. utpote ad iudicium nondum deductum, nec habet operis evidentiam. Dicitur autem pene occultum; hoc ipso enim, quod probari, & manifestum veri possit, non amplius proprie occultum, sed jam aliquo modo publicum est, & dicitur; prout statim patebit.

Kelp. II. Publicum multipliciter sumitur, præcipuè autem sunt tres gradus seu species illius, uti post Suarez de Charitat. Disp. 8. sect. 6. in princ. bene notat Palao. Tract. 6. Disp. 3. punc. 13. n. 1. Prima species, primusve, & maxime genericus gradus Publici est id, quod saltem à duobus scitur, & consequenter probari potest: Tale enim à Jure jam publicum, item probabile dicitur, arg. l. Herodes palan. ff. de testam. & qui testam. can. Confusio. 20. §. Spontanea. cau. 2. q. 5. Fagnanus l. c. n. 53. & d. 121. ac citati cum aliis: quod Publicum cum pene occulto convenit. Alter gradus Publici est, quod non tantum probari potest, sed jam pluribus ta notum est, ut fama de illo exeat; quod etiam Manifestum dicitur: item etiam Famosum. Tertius & supremus Publici gradus est, quod ita jam notum est, ut nullo modo amplius celari, aut negari valeat; & tunc etiam Notorium dicitur. Unde Publicum se habet tanquam genus, Manifestum autem, Famosum, & Notorium tanquam species; ut proin omnia notoria & manifesta sint etiam publica; sed non omnia publica sint manifesta. Navarrus cap. 27. Manual. n. 255. Fagnanus in c. Vestra de Cohabit. Cleric. & Mulier. n. 52. post Abbatem ibid. n. 11. & alii.

Resp. III. Famosum est, quod per publicam famam innotescit: quid autem sit fama, & que requiratur ad eam, ac quomodo differat à Rumore? ad longum habes Lib. II. Tit. XX. §. XII. Resp. IV. Manifestum (proprie loquendo) dicitur, quod est publice & famose notum ex certa scientia, & certis authoribus. Ita in re communis, Joan. Andreas in c. Vestra de Cohabit. Cleric. & Mulier. n. 9. & ibi Abbas non. 12. Fagnanus n. 55. Tullius lit. N. concl. 104. Dicitur famosum notum; quia ut quid vere dicatur Manifestum, debet contere fama; que tamen ad esse publicum non requiritur, ut proin Manifestum & publicum in hoc distinguantur, quòd ad Manifestum, non autem ad publicum requiratur fama. Fagnanus loc. cit. num. 65. & ibi Butr. num. 33. arg. c. 1. de Pofulat. Pralat.

Dicitur ex certa scientia, & certis Authoribus. In quo differat à Famoso & Rumore. Nam fama non requirit certam Scientiam, nec Rumor certum Authorem, ut constat ex Lib. II. Tit. XX. §. XII. Sed illa provenit etiam ex sola suspitione, & Rumor ex incerto Authore, uterque est quandoque fallax, Abbas loc. cit. num. 12. Fagnanus loc. cit. num. 63. Non fit Manifestum, utpote pro quo necesse est, quòd plures certi asserunt Authores, qui per certam Scientiam & sensum corporeum cognoverunt, & deluper testimonium dare possunt. Butr. loc. cit. num. 33. Fagnanus loc. cit. num. 63.

Resp. V. Notorium (proprie loquendo) est, & dicitur illud, quod constat vel per evidentiam rei, que nulla possit tergiversatione celari, ut dicitur c. fin. de Cohabitat. Cleric. & mulier. & c. Cam olim. 24. de P. S. ut si fiat coram omnibus, vel majori parte Communitatis. Nam per majorem partem po-

Superiores Regulares; nam consequentia est in forma.

278 Probatur tertio, & quidem in specie de Ordine nostro; ubi imprimis de Provincialibus non est difficultas. nam hoc ipso, quod statuta Generalia id mandant, ut in anno bis, aut semel saltem universam Provinciam visitare teneantur, consequens est, quod sepius possint. Neque est in hoc controvertendum aliqua.

279 Probatur itaque in specie de Superioribus Generalibus ex Bulla Gregorii XIII. Quoniam nostro, que est 27. inter Constitutiones dicti Pontificis in Bulla. Cherub. ubi §. 7. ita statuitur: Volentes eundem Ministrum Generalem, quousque sibi expedire videbitur, quos voluerit Commissarios, ad quascunque sui Ordinis, utriusque Familie Provincias, quibuscumque consuetudinibus, & statutis, per quaslibet personas in contrarium factis, non obstantibus, liberè mittere posse. Vi ejusdem Bullæ Excommunicacionem ipso facto incurrunt, & ab ea extra mortis articulum per neminem, quam Romanum Pontificem absolvi possunt, privanturque Officiis, & inhabiles sunt in futurum, qui quocunque pretextu, aut colore contra tales Commissarios ad Tribunalia secularia recurrunt, vel recurrentibus favorem, aut consilium præbent. Item illi, qui à dictis Commissariis rectè ordinata, aut facta, mutare, alterare, aut pervertere presumunt sine expressa Ministri Generalis licentia.

280 Et hæc facultas à Gregorio XIII. Ministro Generali concessa, sine dubio ad Commissarium Generalem Ordinarium extenditur, qui hic eadem auctoritate & potestate, ac favoribus, præsertim in puncto Visitacionis quoad Subditos sine Familie gaudent, quo gaudet Generalis, juxta statuta Generalia cap. 8. §. 28. Et per consequens etiam Vice-Commissarius Generalis, utpote qui in vices Commissarii Generalis pleno jure succedit per eadem statuta, accedente etiam Regula Juris in 6. ubi cujus favores convenit ampliari.

281 Ratio autem, & convenientia Conclusionis num. 276. positæ est; quia sæpe contingit, quod etiam extra tempus ordinarium Visitatio in Provincia, vel conventu summè utilis, aut necessaria sit; dum v. g. alibi ex factionum divisione, aut alia causa suscitatur periculosa discordia, que nisi citò per extraordinariam Visitacionem tollantur, gravia incurrantur mala: vel dum in aliqua Provincia irrepunt mali abusus, & corruptelæ, aut alii excessus & defectus contra observantiam, & disciplinam Regularem, talibus cum circumstantiis, ut nisi extra tempus Commissarius Visitor à Superiori Generali maturè mittatur, disciplina & observantia Regularis, spiritus & devotio graviter non solum patiatur, sed malum ita invalenscat, ut difficile amplius eradicari valeat, corruptelæ & abusus successivè sub facie consuetudinis incenduntur: Vel dum experientia docet, quod Provincia aliqua suis abusus, vel excessibus ita inhereat, ut ab eis non diutius, quam Commissarius Visitor præsens adest, desistat, illo autem discedente iterum reassumat, ac per reliquum Triennii tempus continuet; magisque firmet, & novissima peiora prioribus efficiat; nisi interim tempore aliquo extraordinarium Visitatorem jugiter, & tam diu sibi invigilantem habeat, donec spes constantis emendacionis appareat. Et certe si in hujusmodi casibus manus Superioribus Generalibus essent ligatæ, profectò non satis provisum esset Religiosis.

282 Nec obstant Canones n. 247. citati, præscribentes, ut semel, vel bis in anno Visitatio fiat. Respondeo enim, per illos Canones tantum haberi, quod saltem semel, vel bis debeat fieri, ita ut Superior

precepto ordinarie satisfaciat, si semel, vel bis visitet, non autem quod sepius visitare nequeat, si circumstantiis exigunt.

Neque obstat consuetudo in contrarium. Respondetur enim, visitare per se, vel per alium toties, quoties expediens visum fuerit, esse potestatis facultativè gratuatæ, contra quam non datur præscriptio contrariæ consuetudinis, juxta dicta Lib. II. Tit. XXVI. de Præscrip. n. 38.

Denique non obstat statutum Generale cap. 8. §. 46. Respondetur enim, illud (præterquam quod rectè Ludovico de Ameno loc. cit. n. 107. statutum istud si adulteratum) non contra, sed pro Conclusionem militat, prout patet ex contextu statuti, & statuto immediate præced. num. 4. ubi sic statuitur: Visitatores NB. regulariter mittendi sunt, quando Provincialis electio celebranda est, hinc nempe Triennio ipsius, hoc ipso enim, quod dicitur regulariter, implicite conceditur, quod causâ exigente, extraordinariè quoque fieri valeat: uti expressè etiam innuitur ipso statuto sequenti num. 5. ubi: Missus à Generali pro arduo negotio, vel ad Provinciam postulationem: ubi vides, quod non tantum ad Provinciam postulationem, sed etiam pro solo Generalis arbitrio mitti valeat Commissarius extraordinarius: dicitur enim Vel pro arduo causa, vel negotio, quod utique etiam est, si observantia & disciplina totius Provincie patitur, nisi extraordinario tempore Commissarius eidem deputetur. Plura vide apud Ludovicum de Ameno loc. cit.

283 Queritur II. Qualis inquisitio sit Visitatio Ordinaria Regularium? quomodo Superior visitans in ea procedere? quomodo item, & de quibus interrogare se inquirere possit, aut debeat? Et que requirantur ad hanc Visitacionem Ordinariam? Resp. I. Regularium Visitatio Ordinaria est Inquisitio Generalis paternæ; vi cujus prout Superior non ut Juxta, sed ut Pater procedere potest, ac debet, Ludovicus de Ameno in Pract. Criminali. Tit. XI. Inquisitio. §. 1. n. 6. & §. 8. Conclusionem praxi omnium Regularium confirmans, arg. Concil. Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 8. & c. Romanae de Censib. in 6. Ratio est; quia hæc Visitatio non ad vindictam publicam, sed ad correctionem, & emendationem Delinquentium per secretas monitiones, salutares ordinationes, & medicinales poenitentias obtinendam, indeque ad Reformationem principaliter tendit, per jura citata: Nam etsi Visitor Ordinarius occasione Visitacionis Ordinariæ aliquos Delinquentes subindè etiam publicè coram aliis Fratribus puniat, id non vindicativè & judicialiter, sed per poenam medicinalem paternè facit: consequenter talis Visitatio non judicialis, sed paternæ Inquisitio est; juxta dicta §. III. n. 154. & quidem Generalis; cum vi illius Visitor de omnibus delictis, & delinquentibus in genere inquirat, quod utique inquisitionem Generalem sapit per dicta §. III. num. 151.

284 Resp. II. Non obstante, quod Regularium Visitatio Ordinaria sit Inquisitio Generalis de cunctis delictis, & delinquentibus in genere indagans, v. g. an Regula & statuta à Fratribus serventur, vel violentur? an Divinum Officium rite celebretur, an Fratres exemplariter, vel scandalosè vivant? an corruptelæ vel abusus vigeant &c. potest nihilominus saltem in nostro Ordine Visitor Generalis de Provinciali, & Superioribus in specie inquirere, quomodo in Officio, & in Regimine suo se habuerint, qualem vitam, qualesque mores exhibuerint &c. Ita clarè habetur in Statutis nostris cap. 8. §. 57. ubi ad finem eorum, de quibus Fratres Visitor interrogare debet, statuitur, ut in specie interroget, an Guardianus in observando suo munere

munere prudenter, fideliter, ac diligenter se habeat? An vita exemplo, & doctrina opportunitate omnes edisecat? Et inquit: de Provinciali etiam, & sociorum ejus officio, moribus ac vita diligenter inquirat; ut pro sua prudentia, & Religione expedire judicaverit. Item ordinatur in praxi nostra Criminali Tit. XI. §. Inquisitio. §. II. ubi, postquam prohibitum est, ne in Inquisitione Generali inquiratur de personis in specie, apponitur limitatio illis verbis: Ab hac tamen restrictione Provinciales excluduntur, ad quos syndicandos designantur Visitatores; unde illis integrum erit, de Provincialium Regimine in genere, & in specie inquirere nominatim; etiam nullâ infamia præcedente (non tamen ad illorum vitam, & mores descendendo) quod etiam de Guardianis fieri debet.

Ratio jam infirmata est; videlicet, quia ad syndicanos Superiores Visitatio specialiter etiam ordinatur; eò, quod Superiorum delicta, & transgressiones longè plus nocivæ, utpote Subditis plurimum scandalosæ sint, consequenter strictiori inquisitione, reprehensione, & punitione dignæ, cau. Præcipuè. 3. cau. 11. q. 3. ibi: Deterius quippe in populo Prælati delinquant, ac per hoc ipsi crudelius quam ceteri puniuntur, ut ait Beatus Gregorius: scire etenim Prælati debent; quia, si perversa iniquum perpetrant, tot moribus digni sint, quòd ad Subditos perditionis exempla transmittunt: unde necesse est, ut tantò se cautius à culpa custodiant, quanto per prava, que faciunt, non solum moriuntur.

287 Resp. III. In Visitacione Ordinaria potest Visitor ex causa rationabili, puta, ad cognoscendum, an promovet possit, aut debeat: vel si suos jam notorios malos mores, aut certum Vitium emendaverit; vel an delictum, de quo suspectus est, commiserit? Etiam in specie de Subditis generatim inquirere, v. g. quomodo hic vel ille se gerat, qualem vitam, aut mores habeat. &c. Ludovicus de Ameno in Pract. Criminali. Tit. XI. Inquisitio. n. 12. Ratio est; quia cum Visitatio Ordinaria sit Inquisitio paternæ, non vindictam, sed solum emendationem, & bonum Delinquentis respiciens, juxta dicta n. 285. nulla sit ei injuria, nec prejudicium, etsi de illo in specie, aut de vita illius paternè inquirat Visitor.

288 Nec dicas, quod tali modo Invertatur natura Visitacionis Ordinariæ, dum in ea, que ex natura sua est Inquisitio Generalis, instituitur Visitor Inquisitionem specialem. Resp. enim, ipsam Visitacionem tamen esse, & manere Inquisitionem Generalem, hoc ipso, quod principaliter, & à potiori in ea nonnisi genericè procedatur, & per accidens sit, quòd de uno vel altero ex causâ specificè inquirat Visitor, præsertim tum non Judicialiter, & ad vindictam: sed paternè, ad correctionem, & bonum Delinquentis id faciat, ut jam dictum.

289 Et hoc etiam in Ordine nostro Seraphico procedit, non obstante, quòd in praxi Criminali Tit. XI. §. Inquisitio. §. II. prohibeatur, ne de speciali persona, vel delicto oculo in Inquisitione Generali persquiratur. Respondetur enim: ibidem esse sermone de Inquisitione Generali Judiciali, non de paternæ, qualis est Visitatio Ordinaria, uti bene ibidem n. 12. advertit Ludov. de Ameno, conquerens, quòd in dicto Tit. XI. v. Inquisitio, Judicialis, & paternæ inquisitio sæpe confundantur, & ita commisceantur, ut non statim appareat, de qua sit sermo; consequenter facile error contingere possit in intellectu legentis.

290 Dicitur tamen notanter in Conclusione n. 287. positâ, ex causâ rationabili; quia sine hac, in Visitacione Ordinaria seu paternæ de Subditis in specie

inquirere non debet, ne videatur ex inordinato affectu, vel passione procedere; & cum Visitacione Ordinaria, tanquam Inquisitione Generali paternæ Inquisitionem specialem judicialem cumulare, aut intendere cum injuria Legis, & Delinquentis.

Cæterum de quibus in genere Visitor in Visitacione Ordinaria seu paternæ inquirere seu indagare, & Subditos interrogare debeat, videantur cunctasque Ordinis statuta, & quidem nostra cap. 8. §. 57. ubi cuncta etiam interrogatoria Subditis ordinariè proponenda ad longum habentur, ex eisque, sicut etiam ex aliis colligitur, Visitacionem Ordinariam non esse generalissimam, sed generalem, & aliquo modo mixtam Inquisitionem juxta dicta §. III. n. 153. cum in ea inquiratur de certis delictis & transgressionibus in specie, & de Delinquentibus in genere, v. g. an nullus violet pauperem? an non fiant inordinate potationes? &c. ubi etiam notandum, liberum esse Visitori præter interrogatoria ibidem specificata, plura alia de transgressionibus in specie, & de personis in genere facere, prout nempe expediens judicaverit; quia specificata ibidem tantum per exemplo adducuntur.

291 Resp. III. Quamvis in Visitacione Ordinaria non requiratur, ut Visitor illis, quos interrogat, imponat Juramentum de dicenda veritate; hoc ipso, quòd non sit Judicialis, consuetudo tamen, & statuta Religiosum volunt, ut Subditis per sanctam obedientiam præcipiat, ne aliquid retineant, sed cuncta Visitori fideliter revelent, que ad tollendos abusus, vel scandala, & pro conservanda vel restauranda observantia, ac disciplina Regulari dicenda sunt: ita statuta nostra &c.

292 Resp. IV. Dum in Visitacione Ordinaria Subditos interrogat, & audit Visitor, nullus requiritur, nec adest potest Secretarius, vel Notarius, sed Visitor solus, nemine presente dicta Subditorum excipere, & ea saltem, que graviora videntur, scribere ac notare debet. Ludovicus de Ameno loc. cit. §. 4. n. 25. cum aliis Ratio est; quia cum hæc Visitatio sit paternæ, solum emendationem, & correctionem paternam (ad quam nulla requiritur probatio Juridica, & contra quam nulla Appellatio datur, juxta dicenda infra) intendens, nullum Secretarium, vel Notarium exigit, imò nec admittit; quia cum in illa, etiam occulta delicta pandantur, minori, quâ potest, famæ jacturâ fieri debet, ac propterea subinde etiam delicta nonnisi ab ipso Visitor in secreto moneri, & corrigi debeat, juxta dicenda infra n. 303. Secus est in Inquisitione Generali Judiciali; utpote in qua ad faciendam fidem Actis, Notarius juratus interesse debet.

293 Quòd autem saltem ipse Visitor graviora notare, & scribere debeat, ratio est; ut ex ipsis deim colligere valeat, quid paternè corrigendum & reformandum, vel quid statuendum & ordinandum sit: Item an & quando contra unum vel alterum, specialem Inquisitionem institui possit, vel debeat, prout reverè subinde potest, & debet, juxta dicenda infra d. n. 304. Tamen hæc Conclusionem innuit etiam specialiter nostra Practica Criminalis loc. cit. §. 4.

294 Queritur III. Quænam delicta, crimina, defectus, aut excessus Subditi in Visitacione Ordinaria Visitori manifestari possint, vel debeant? Resp. I. Non tantum possunt, sed tenentur Subditi in Visitacione Ordinaria Superiori Visitori manifestare, & saltem paternè denunciare omnia delicta, excessus, defectus, transgressiones & abusus Fratrum, Conventus, aut Provincie, tam occultos, quam publicos, qui in damnum observantia, & discipline Regularis, aut in prejudicium Communicatis, vel terti privati cedunt. Hæc Conclusio caret controversiâ, cum

cum teste Sanchez lib. 6. Moral. cap. 18. n. 50. cam teant omnes, patetque ex dictis supra §. 2. a. n. 106. ubi probavimus, quod quisvis hujusmodi etiam occulta delicta teneatur denunciare extra Vifitationem, aut Inquisitionem; ergo multo magis in illa, utpote in qua speciale etiam accedit obedientie preceptum Subditos ad manifestandum, seu paternè saltem denunciandum obligans, juxta dicta num. 293.

296 Resp. II. Subditi non tantum possunt, seu tenentur etiam omnia illa crimina, peccata, vel delicta, quae in solius Delinquentis damnium vergunt, Superiori Vifitanti paternè manifestare, etiam si omnino occulta sint, & nullatenus probari valeant, dummodo sciatur extra sigillum Confessionis, & secretum naturale. Haec Conclusio rursus patet ex dictis §. 2. a. n. 179. ubi probavimus, ad id teneri quemvis extra Vifitationem; ergo à fortiori in illa, ob accedens obedientie preceptum. Docent hanc Conclusionem praeter citatos §. 2. num. 179. etiam Ludovicus de Ameno in Pract. Criminali. Tit. XI. §. Inquisitio. n. 5. Lezana Tom. 1. cap. 27. n. 2. circa medium, citans Suarez Tom. 1. de Relig. lib. 10. de Regim. Societ. cap. 11. n. 4. Angelus v. Denuntiatio. n. 10. Pellizz. in Manual. Regul. p. 1. tr. 9. cap. 4. sect. 1. n. 17. Palao de Charit. Tr. 6. Disp. 3. punc. 10. n. 13. Sylvester. v. Denuntiatio. q. 4. citans D. Thomam, & communem; quamvis enim horum aliqui expresse non doceant, quod teneantur, sed tantum, quod possint peccata etiam occulta, nulli quam peccanti nociva, denunciare Superiori ut Patri, tamen ex hoc ipso sequitur, eos etiam teneri; quod probatur.

297 Quomodoque Subditi possunt occultum aliquod peccatum Praelato ut Patri, seu paternè denunciare, tenentur etiam facere, si Praelatus id praecipit, ut cum communi aliorum docet Layman loc. cit. n. 8. sed Subditi quodlibet, ac quantumvis etiam occultum peccatum possunt manifestare Superiori ut Patri juxta dicta num. praeced. ergo id facere tenentur, si Praelatus praecipit; atqui in Vifitatione Ordinaria Superior semper, & quidem in virtute obedientie praecipit, ut eidem omnia delicta manifestentur; ergo. Confirmatur Conclusio etiam ex dictis §. II. n. 79.

298 Probat uterius ex natura Vifitationis Ordinariae; quia haec praecipue est instituta, ut illa mediante secreta, & occultae transgressiones, defectus ac delicta Superiori ut Patri pateant; quatenus dein contra illa competens remedium per correctionem privatam, aut medicinalem poenitentiam, aliove modo paternè disponere valeat; ut bene advertit Ludovicus de Ameno loc. cit. n. 5.

299 Nec obstat quoad Ordinem nostrum, quod in praxi nostra Criminali saepius dicatur, in Inquisitione Generali (qualis etiam est Vifitatio) manifestari non debere delicta occulta. Resp. enim cum Ludovico de Ameno, praxin illam vel loqui de Inquisitione Judiciali, vel de occultis notis praecipue per sigillum Confessionis, aut naturale; unde etiam in Conclusione n. 296. posita additum est: dummodo sciatur extra sigillum Confessionis, aut naturale; quali secreto sciunt delictum illi, quibus id Delinquens revelavit per modum consilii, vel auxilii; vel cum obligatione de servando secreto, ut bene docet Pellizz. in Manual. Regular. p. 1. tr. 9. cap. 4. sect. 1. n. 21. Palao loc. cit. punc. 14. n. 4. cum communi aliorum docentium, peccata sub secreto naturali cognita, nec debere, nec posse manifestari (nisi in praesidium tertii vergerent) alias miseri arcerentur à petendo consilio.

300 Resp. III. Ad hoc, ut delicta etiam occultissima, solique peccanti nociva, in Vifitatione Ordinaria

denuntiari, seu manifestari possint, ac debeant, non praerquiritur monitio seu correctio fraterna, seu Evangelica; praesertim in Ordine nostro. Patet haec Conclusio ex dictis §. II. n. 70. & 71.

Queritur IV. An, & quomodo possit Superior delicta occulta per Vifitationem paternam cognita manifestare? Quomodo item contra Delinquentem procedere, & punire illum possit ratione delictorum in Vifitatione cognitorum? Resp. I. Quamvis Vifitator gravior delicta per Vifitationem paternam cognita, publicè in Capitulo cuivis pro libitu manifestare sine peccato non possit, potest tamen ea revelare uni, vel pluribus pro consilio, & cum eisdem de illis differere pro remedio adhibendo, si ita necessarium, aut expediens esse judicaverit. Pellizz. in Manual. Regular. p. 1. tr. 9. cap. 4. sect. 1. n. 17. Palao de Charit. Tr. 6. Disp. 3. punc. 11. n. 5. citans Torres. 2. 2. q. 33. Disp. 89. dub. 4. Ratio est; quia tali manifestatione intenditur utilitas Delinquentis, quae praesertim debet levi illius detrimento famae, praesertim cum etiam illi, cum quibus Vifitator consilii causà differit, ad idem cum Vifitatore teneatur secretum.

Resp. II. Potest, imò tenetur subinde Superior Vifitans ob delicta per Vifitationem paternam cognita, loco removere, & Superiori locali alterius Conventus, aut Monasterii oretenus, vel etiam per literas revelare, ad hoc, ut eidem invigilare queat. Item potest ei certas domos, aut loca, vel societatem prohibere: potest item eidem fidelem locum assignare, focique mandare, ut observet illum. Item potest alia remedia eidem praescribere, prout nempe in Domino necessarium, vel expediens pro emendatione Delinquentis judicaverit: dummodo in his omnibus ita prudenter agat, & caveat Superior vifitans; ne ulterius diffusetur Delinquentis: ob quod etiam illos, quibus delictum occultum ex praesata causa manifestat, de obligatione secreti monere debet; nisi ipsimet obligationis suae satis ignari supponantur. Palao loc. cit. num. 2. Pellizz. loc. cit. a. num. 34. Bannez, Torres, & alii Ratio est; quia Vifitatio etiam paternam non tantum instituitur, ut delicta, & delinquentes cognoscantur, sed etiam, ut remedia ad emendationem necessaria, aut utilia (qualia saepe sunt memorata) adhibeantur; cum finis sine mediis non obtineatur, indeque qui efficaciter vult, vel intendit finem, debeat quoque velle, adhibere, sustinere media, arg. l. Nam ut ait. 13. ff. de Legib. ibi: Quoties Lege aliquid, unum, vel alterum introductum est, bona occasio est, caetera, quae tendunt ad eandem utilitatem vel interpretationem, vel certe jurisdictionem Suppleri.

Resp. III. Si delictum in paternam Vifitatione cognitum, est grave & occultum, ita ut probari nequeat, non potest illud Vifitator publicè, bene verò occultè punire, imponendo Delinquenti aliquam proportionatam poenitentiam in secreto praegendam, v. g. jejunium, flagellationem &c. Item potest ipsum in Secretario gravissimè objurgare, corripere, minis terrore sub excommunicatione aliquod prohibere; idque etiam adhibitis duobus, vel tribus, ad magis confundendum, & commovendum, si ita expediens judicaverit; dummodo de delicto moraliter certo constat, v. g. per testem omni exceptione majorem, de quo profus nulla falsa depositio potest esse suspicio. Palao loc. cit. n. 10. Pellizz. loc. cit. n. 34. & segg. Ratio est, quae in priori Conclusione. Cui accedit, quod omnia non excedant limites correctionis paternae, & potestatem Superioris, tanquam in filios; cum haec omnia non vindictam publicam, sed meram emendationem Delinquentis, consequenter Monus paternum sapiant:

sapiant: & alias semiplena probatio sufficiat ad memorata praesentanda, ut cum alio Suarez apud Palao loc. cit.

304 Queritur V. An? quando? & quomodo? Superior Vifitans, ex noticia per Vifitationem Ordinariam acquisita devenire possit ad Inquisitionem Judicialem, praesertim speciale? Resp. I. Superior nullum potest Judicialiter tractare, condemnare, aut punire ob peccata per solam Vifitationem Ordinariam cognita. Unanimis & certa. Ratio est, quia Vifitatio Ordinaria non est Inquisitio Judicialis, sed paternam, nec eidem ut Judici, sed tanquam Patri (nisi Denuntians aliud exprimat) delicta denuntiantur, & denuntiata censentur, juxta dicta supra num. 285. consequenter vi illius Judicialiter contra Delinquentem procedere nequit.

305 Resp. II. Potest nihilominus Superior occasione Vifitationis Ordinariae, subinde inquisitionem Judicialem instituire, ac Processum Criminalem facere contra Delinquentes. Patet inductione, Sic enim I. Quando delictum quod ei in Vifitatione denuntiat, jam est notorium, potest, & ad averterendum scandalum pro-terrore, & exemplo a horum debet instituire Inquisitionem Judicialem; idque ex Officio, & modo supra §. II. mon. 75. allegato; non obstante protestatione unius, vel alterius Denuntians; quia tunc Superior procedit non vi depositionis ab eis paternè solummodo factae, sed vi Notarii occasione Denuntiationis paternae cognitae. Id ipsum habetur etiam in Pract. nostra Criminali Tit. XI. v. Inquisitio §. 7.

II. Si ex Vifitatione Ordinaria deprehendit, existere jam commune finam; ut si plures de aliquo delictum denuntiant; vel dicitur ejusdem extare jam famam, rursus ex Officio inquirere potest, & debet, arg. c. Qualiter 24. b. 1. ibi: Quasi denuntiante famam, aut deferente clamore. Quod autem sit Famam, & quomodo probetur, habes Lib. II. Tir. XX. de Testib. §. 12. Hic solum notandum cum Ludovico de Ameno, ad hoc, ut Vifitator contra famosum delictum ex Officio Judicialiter procedere valeat, non requiri, ut de illo in publico fiat sermo, sed sufficere etiam, si de illo opinio sit apud majorem partem populi, vel Communitatis, quia saepe contingit, quod de delicto quodam ob timorem peccantis, vel ei adherentium nemo publice loqui audeat, licet apud majorem partem Communitatis jam sit opinio & ultimatio, utque de illo in secreto plures loquantur, & prout contingit tempore Christi cap. 7. Joannis ibi: Nemo palam loquebatur de illo ob metum Judaeorum.

III. Si sua sponte quis in Vifitatione Ordinaria Judicialiter denuntiat, juxta dicta supra §. II. num. 125. prout saepe fieri potest, & debet, per dicta supra §. II. a. num. 106.

IV. Si Subditi facta Denuntiatione paternam ad Superioris adhortationem, vel mandatum judicialiter denuntiat, prout Superior adhortari ac jubere potest, ac saepe etiam debet, casu, quo Subditus Judicialiter denuntiare tenetur, ut si delictum vergit in damnam Communitatis, vel tertii, certitudine morali non existente, quod per Denuntiationem paternam satisfiat; vel si quidem delictum soli Delinquenti nocet, ob rationes tamen, vel circumstantias expedit, ut Judicialiter puniatur: quando enim Subditus tenetur Judicialiter denuntiare, utique Superior illum tunc obligacionis monere potest, & ratione Officii debet, teneaturque Subditus Superiori monenti, aut praecipienti more gerere.

V. Si in Vifitatione Ordinaria eidem etiam paternè tantum denuntiantur crimina excepta, vel pub- Reiffenstuel Jus Canon. Tom. V.

blica, prout Publicum opponitur Privato, quae videlicet in publicum detrimentum vergunt, qualia sunt 1. Haereticus. 2. Crimen laesae Majestatis. 3. Blasphemia. 4. Crimen Sacrilegii, ut Sortilegia, & prophanationes Sacrorum. 5. Larcinium, & gradationes viarum publicarum. 6. Crimen Adulterii. 7. Crimen falsae monetae. 8. Simonia, prout amplius probavimus ex Jure Lib. II. T. XVIII. d. num. 99. & expresse statutum etiam habetur in Practica nostra Criminali. Tit. IX. v. Denuntiatio. §. 2. & Tit. XI. v. Inquisitio. §. 7. contra haec igitur excepta, vel publica per Vifitationem paternam cognita vitia, Judicialiter procedere potest, inquirendo ex Officio, etiam nulla infamia, nec Denuntiatio, aut Accusatio Judicialis praecedat, juxta dicta supra §. III. num. 189. Quomodo autem id facere debeat, dicitur infra.

Potro in dicta nostra Practica Criminali pro Ordine nostro Seraphico, inter crimina excepta, & publica insuper numerantur Conspiratio in Generalem, vel Provincialem, vel eorum Commillarios, aut etiam in Superiores locales: eorum enim homicidia, vulnerationes, vel percussiones: item subornationes in Electionibus, & merito; quia reverè singula haec in damnium commune Religiosis cedunt. Item peccatis exceptis annumerantur Sodomia, & Sacrilegium cum Monacha. Item fornicationes, & adulteria, casu quo periculum sit, aliquid ex ultimis his duobus delictis publicari posse; siquidem etiam fornicationes simplices, & à fortiori adulteria, si innotescant, à Religioso perpetrata, mirum in modum confundunt, & difformant Religionem, eique nocent; consequenter, ubi periculum publicationis eorum est: publicis, & exceptis merito annumerantur; secus si penitus nullum periculum publicationis illorum sublit; tunc enim inter delicta privata reputantur loc. cit. v. Denuntiatio §. II. ubi licet etiam de Sodomia pariter discurratur, tamen Tit. XI. v. Inquisitio §. 7. exceptis absolute annumerantur, ad hoc, ita ut contra Reos illius sine omni infamia, ac sine Denuntiatione, aut Accusatione speciale Inquisitionem instituire possit Superior.

VI. Si adsint sufficiens indicia contra aliquem criminis ab eo commissi juxta dicta num. 185.

VII. Si delictum vergit in damnum, vel praesidium judicium communitatis, vel tertii juxta dicta num. 109. & 189.

VIII. Si delinquens deprehenditur in Flagranti, per dicenda infra a. num. 560.

IX. Ex quibus patet, quod Superior per seipsum potest, ac saepe etiam debet instituire processum criminalem occasione Vifitationis ordinariae.

§. VII.

De Processu Criminali Regularium, simulque de ordine, & praxi Eiusdem; praesertim in Religione nostra Seraphica.

S U M M A R I U M.

- 313 In Processu Criminali Regularium non omnia servantur, quae in Processu aliorum.
- 314 I. Est enim tantum Processus Summarius.
- 315 II. Non necessarii observantur apices Juris.
- 316 III. Praelati Regulares facilis absolvuntur.
- 317 IV. In illo non communicantur nomina testium: & quid apud nos de hoc?
- 318 V. Potest formari juxta statuta, & consuetudinem cujusvis Ordinis.